

minum exultationes, Tu solus, *Princeps Eminentissime*, non agnovisti; nam humilitatis tuæ sub velamine ita mentem habebas, ut quemadmodum eam a meritorum tuorum cognitione retrahebas, ita pariter eidem præmiorum tuorum justitiam occultare omni modo procurabas. Attamen non proinde factum venit, ut cuncti homines, qui sunt æqui æstimatores, adeo virtutem tuam non assequerentur, ut dissimulationem illam, qua ab ea Te avertebas, non penetrarent, ac omni encomio non comendarent.

Tandem a Sanctissimo D. N. CLEMENTE XII. justissimo præmiorum distributore, ac sapientissimo Ministrorum adlectore, a quo æquitas tua, dexteritas, fidelitas, ac in rebus agendis experientia, satis superque in arduis quoque rebus cognitæ fuerant, ad Negociorum Status pro tota pontificia ditone, ac pro tota christiana Republica, administrationem evocatus, ita arduissimum unus omni ex parte complex, ut populorum commendat laus, & Principis comprobatur acceptatio. Adeo enim in rebus plane imperviis, temporibus quoque difficillimis, Te prudentissime geris, ut nemini prorsus partium studii suspicionem ingeras, quin potius cunctis indifferentem Te esse contendas, & æqualem pariter singulis probare amorem. In primis vero Creatori ac Benefactori tuo manifestas fidelitatem, gratitudinem, ac obedientiam, adeo exacte, ut nihil plane disponas nisi ipsomet probante, atque acceptante.

Has vero omnes præstantissimas dotes etsi longo rerum agendarum usu acquisieris, a Majoribus tamen quoque tuis, pietatem precipue, prudentiam, ac fidelitatem, exemplo pariter didicisti. Norunt profecto Conterranei nostri omnes Religionem illorum, qui Te domi præcesserunt, sive in sacrarum ædium constructione, sive in charitate erga omnes, qui Dei laudibus se manciparunt; Norunt prudentiam, sive in subditorum regimine, sive in publicis muneribus explendis; Norunt fidelitatem, quam Regibus omni tempore exhibuerunt. Unde non mirum, si ea sedulitate virtutes

hasce